

EPISTOLÆ DUÆ:

ALTERA CLEMENTIS VII, PAPÆ, AD CAROLUM V, IMPERATOREM AUG., ETC.;
ALTERA CAROLI V, IMP. AUG., ETC., CLEMENTI RESPONDENTIS.

LEGISSE IUUABIT, ANNO DOMINI MDXXVIII, MENSE MARTIO.

*Clemens VII, Papa, Carolo V, Rom. Imp. semper Aug.
S. D.*

Charissime in Christo fili noster Salutem et Apostolicam benedictionem. Non opus esse arbitramur, apud Serenitatem tuam multis uerbis uti ad demonstrandum, quo iam per tres annos studio, quibus nos curis et actionibus, a nostri uidelicet Pontificatus initio, tum pacem communem totius christiani nominis, tum priuatim tuam amicitiam et coniunctionem nobiscum procurauerimus, atque appetierimus. Sunt enim omnia acta, cogitataque nostra tibi propemodum æque nota ac nobis. Sumus nos quidem conscii, nihil prætermisisse, quod uel ad boni Pastoris officium erga uniuersum gregem, uel ad fidelis amici animum in tuam Serenitatem speciatim pertineret. Quorum tamen bonorum operum, atque amoris erga te nostri eum sumus exitum consecuti, ut repulsi iam toties a beneuolentia et coniunctione tua, cum nullam æquitatem conditionum nullum indicium ueri amoris apud te inueniremus: siue eorum artibus et dolis, qui nos cum Serenitate tua nunquam coniunctos esse uoluerunt, siue tua mente oppressionem Italiae, et imminutionem nostræ dignitatis meditante: ad ea consilia, a quibus et natura, et uoluntate semper abhorruimus, necessario sumus compulsi: serius quidem multo, quam aut plurimarum rerum indignitas, aut honoris nostri, et publici Italiae boni ratio postulabat. Sed cum ad extremum uentum esset, cum patientiæ nostræ diuturnæ, atque magnæ, iam nomen, atque opinio ad negligentiam rerum publicarum conuerteretur, coacti sumus tandem ea capere arma, quæ et iustitiæ et Italice libertati et nobis ipsis possent esse præsidio: non offendendi cuiusquam causa, sed tuendi et conseruandi honoris, atque officii nostri. Etenim, ut commemoremus breuiter causas quibus adacti sumus ita facere: meminisse potest Serenitas tua nos, cum in Cardinalatu essemus, tibi summe addictos atque coniunctos, et uiuo fere Leone Decimo fratre nostro patrucele, et deinde et mortuo: quo rerum tuarum is exitus esset, et ea gloria, quam tumet optabas, non laboribus, non periculis nostræ personæ propriæ, non impensis pepercissemus. Cumque deinde diuina prouidentia ad Pontificatus honorem uocati fuisset, tuique tunc hostes in Italia magnas copias haberent, et si pro pastoralis officii debito ab illis armis nobis abstinendum erat, tamen ne rationes tuas impeditas relinqueremus, non solum Florentinorum auxilia, sed Sanctæ etiam Romanæ ecclesiæ copias in tuis subsidiis et castris uersari permisimus: nec uero pecunias suppeditare cessauimus: nec antequam depulsum illud periculum fuit, destitimus

tuis ducibus fauere et iuuare. Postea uero cum hic Pontificatus honor, etiam in nobis patris personam exposceret, decreuimusque abesse ab armis et bellis: exercitusque et milites nostros, tuis iam hinc constitutis rebus, et non modo non inferioribus, sed superioribus etiam, quam hostium tuorum renouauissemus: tamen armis a nobis depositis: neque fideli consilio ducibus tuis in Galliam transeuntibus, neque inde pedem referentibus pecuniarum auxilio pro rerum nostrarum tenuitate defuimus. Successitque ex illo intemptiuo in Galliam transalpinam tuorum transitu celerior et grauior in Italiam Gallorum irruptio, Rege maximi nominis exercitum ducente, ac urbis opulentissimæ Mediolani ab illis receptio. Quo tempore cum duces tui de defensione illarum regionum spem totam posuissent, ac de earum insuper, quæ tuæ erant propriæ, periculo commouerentur: nos uero in magno etiam nostrarum rerum metu essemus: eis conuentionibus occurrere coacti fuimus imminenti periculo, quas tu optime nosti: quibus uidisti tu profecto, et cognouisti quæ nobis esset cura, quæ cautio rerum tuarum: tamen nihilominus tibi, rebusque tuis, quam et nobis et nostris cauere. Hæc tu si nosti, quæ ad te certe peruenerunt, nihil opus est illius temporis actiones nostras comprobare apud te, singulareque quoddam studium nostrum status, honorisque tui ostendere: facile enim hoc tibi res ipsa declarauit. Sin autem et non cognouisti, uel oblitus es, erit tempus commodius quo ista exponemus. Qui et Gallorum transitu in tui regni fines multis rebus remorati fuimus: et cum si societatem eorum uoluissimus sequi, maxima nobis præmia non solum proponerentur, sed etiam essent parata, ab instituto nostro discessimus: plusque apud nos amicitie tuæ memoria, quam præmium ullum ualuit. Secuta est uictoria tuorum aduersus Gallos: qua adepti, cum omnis nobis subblata contentio uideretur, cumque iam sine cupiditatis et partium suspitione tibi uideremur etiam fœderis uinculo hæere posse: magnumque in eo beneficium Italiae et christianitatis totius positum arbitramur: non fœdus solum facimus, sed quo tui duces egentes pecunia, alere et sustinere exercitum possent, eumque ab nostris finibus abducerent, centum illis dedimus ducatorum millia: conditione apposita, ut si de fœdere aliqua dubitatio tibi oriretur, illæ nobis pecuniæ restituerentur. Eo fœdere a te non plane accepto, nec probato, cum propter æmulationes quorundam ex ducibus tuis, et ingrata cæteris consilia Vormæ Piscariæ Marchio nonnulla iactare, tractareque cœpisset: quæ in detrimentum tui status intendi uidebantur: nosque etiam illa consilia audiuissemus, neque fœdere abs te reiecto, essemus penitus aspernati: quærentes uidelicet, si tu

nobis deesses, sicuti iam deeras, ubi possemus niti, atque considerare: tamen neque a uerbis ad facta aditum ullum tentauimus, et uincite tuam in nos duriciam amore erga te nostro, recordamur te admoneri mandasse, ut duces tuos in Italia, quorum in manu res tuæ essent, curares de te esse contentos: quo certe officio tibi probare debuimus, esse nobis uehementer cura quietem et stabilitatem rerum tuarum. Deinde uero maximo cum gemitu et dolore nostro, atque Italiae totius, cum iidem duces tui statum Mediolani occupauissent, atque arcem in qua Franciscus Ma. residebat, circumuallare instituisent, tum postulante a nobis curam et securitatem aduersus indignitatem tantam Italiae periculo, omnibus notis atque ignotis flagitantibus paratis, qui arma et auxilia conferrent, cunctis prope christianitatis regibus nos animantibus, cum non uideremur posse resistere monitis, querelis, precibusque illorum, cum nos officii nostri debitum, Italiae calamitates, et periculum commune commoueret: tamen adueniente per eos dies, dilecto filio commendatore Herrera a te ad nos tractandi causa (ut ipse ferebat) misso, relapsi in pristinam spem et cupiditatem beneuolentiæ tuæ nobis quoquomodo conciliandæ, dimissis consiliis, conspirationibus, oblationibusque cunctorum, graui omnium indignatione et querela, qui se a nobis desertos conquirebantur, ad te denuo confugiendum putauimus. Quærentesque tibi comparare gloriam pacandæ christianitatis, et moderationis tuæ omnibus declarandæ, meminimus ea conventionum capitula, quæ dictus Herrera attulerat, paucis in locis leuiter immutata, remisisse ad te comprobanda: scripsisseque manu nostra literas, quibus te per Dei misericordiam obsecrantes, ut depellere uelles hanc suspensionem, quæ de tua nimia cupiditate omnibus adhærebat: et perpetuitatem, ac fructum amicitie nostræ tibi pollicebamur, et consilium fidele dabamus: et quæ petenda erant, omni cum humanitate et beneuolentia abs te petebamus: securitatem uidelicet Italiae: duci Mediolani (si quo pacto errasset) clementiam: nobis ipsis amorem. Quæ tot nostra opera, atque officia erga Serenitatem tuam, necnon alia quamplurima, quæ tibi quotidie a nobis postulanti prompte semper concedebamus, ex quibus tibi commodum, atque honor quotidie acrescebat: quemadmodum a te accepta et recompensata sint, in promptu est cognoscere. Primum omnium tuorum in Italia agentium iniquitati et contumeliis ita fuimus expositi, ut cum non omnia statim ex illorum præscripto, et cupiditate egissemus de nostra fide et fidelitate obloquerentur: nosque apud te suspicionibus sinistris onerare non desinerent. Nec reputantes quid officium nostrum, honoreque deposceret, uellent nos secum in omne consilium, quod illis placeret, rueri præcipites; atque ubi primum moderatius et circumspicius nos contineremus, omnium præteritorum officiorum periret gratia: quibus tu profecto fidei multo plus, quam conuenient, habebas. Deinde in Senensi ciuitate omnes nobis amicos et beneuolos, tanta tuorum acerbitas et iniquitas insectata est, ut exterminata pene omni nobilitate, cædibusque multis factis, nihil fieret apertius, quam eas contumelias et opprobria nobis ipsis impingi: cum nos patientia et dissimulatione: atque, ut omnes modestiæ partes erga te seruaremus, nullum aliud remedium de tot innocentium calamitatibus, nisi a teipso quasissimus: quod tantum abfuit ut præstaretur, ut quotidie peius, atque acerbius illi in clades beneuolorum nostrorum, et nostrum dedecus grassarentur. Fœderis autem ipsius tua reiecto, quod nos cum tuis oratoribus et agentibus facultatem ha-

bentibus ictum: et a dilecto filio nobili uiro Carolo de la Noii, Vicerege Neapolitano comprobatum et ratificatum, pro firmissimo habebamus: cum eius non tam ratificatio abs te, quam executio sola expectaretur: quid tandem tibi erga nos animi esse ostendit? cum si quid in illo pro te esset, id libenter adscisceres: in quo uero aut dignitati nostræ, aut commodo inseruaretur, id infectum, irritumque dimitteres: sicut in iis quæ separatim stipulata fuerant, spolia uidelicet terrarum et locorum sedis Apostolicæ, et aliorum quorundam repudiatio tua declarauit. Quo etiam eventu, non solum pecunias nostras, ex pacto conuenito non recuperauimus, uerum etiam contra promissum et fidem datam exercitus tui bona pars in sanctæ Romanæ ecclesiæ locis, et terris prope assidue uersata est, tantis et tam grauibus iniuriis et detrimentis subditorum nostrorum, ut crudelitatis et auaritiæ, et innumerabilium scelerum, et inauditæ immanitatis horribilis sit, et auribus humanis intoleranda commemoratio. Accessit in eis conditionibus, quæ inter Serenitatem tuam, et charissimum in Christo filium nostrum Franciscum regem Christianissimum apud te existentem tractabantur: ut de illis nostri legati et nuntii, aut penitus cælerentur, aut uix atque ægre, cum ipsi studiose inquirerent, de leuissimis docerentur; et neque ea quæ auditu aut coniectura assequerentur, ad nos scribere permitterentur. Quo quidem tempore maximum dabatur signum tuæ et a nobis alienæ, et fidei nostræ derogantis uoluntatis. Mittimus innumerabilia alia in quibus nulla unquam habita est ratio, nec honoris nec uoluntatis nostræ. Ad illas ipsas literas quas ad te tam humane et tam liberaliter scripsimus: ita responsum a te est, ut ubi clementiam duci Mediolani petebamus, tu rigorem iustitiæ offerres. Ita tamen, ut nequaquam ex ordine iustitiæ, indicium atque sententiam pœnæ antecederet: ubi eorum, quæ tunc aduersus rationes tuas a tuis ducibus iactata, et ad nos delata etiam fuerant, culpam in quibusdam esse dicebamus: Tu quo nos quodammodo criminare, illos immunes criminis faterere: quæ tibi benigne et large pollicebamur, ea tu tanquam tibi debita et obligata flagitares. In quo uero perspicuum indicium constitit, nos abs te illudi, et pro nihilo haberi. Ipsa illa capitula Herrere remissa ad te, ut comprobarentur, cum illi facultas primo concessa uberior esset, quod iam confectam concordiam cum Christianissimo rege habebas, tu restrictiora multo quam prius, et ieiuniora transmissisti: apertissime indicans nos postremos esse, et contemni abs te, ubi tibi cum aliis amicitia conuenisset. Quibus tot animi tui erga nos non bene dispositi significationibus animaduersis: cum, siue ea tua propria esset uoluntas tuæ in nos uoluntati uehementer diffidere cœpissimus, siue quorundam ex tuis (quod magis credimus) peruersitas et maligna uasio, tantum tamen illos apud te posse uehementer periculosum intelligeremus nobis, totique Italiae: perstitimus tamen in studio et amore pacis, et perstitissemus perpetuo: solitaque nostra arma patientiæ inducentes permisissimus Deo omnes actiones, cogitationesque nostras: si non tuorum pertinacia, in obsidenda arce Mediolani, illiusque ultimum prope discrimen, nos ad sustentandam libertatem Italiae, discernendumque facta a uerbis prope supremo tempore excitauisset. Præsertim cum quo minus de tua uoluntate dubitare possemus, tua in Hispania ad deprimendam auctoritatem Sanctæ sedis Apostolicæ, et summi Pontificis dignitatem infringendam, proposita pragmatica edicta ecclesiasticæ facultati et libertati derogantia: Quibus in regno Neapolitano, ECCLESIE ROMANÆ feudo, similia alia con-

secuta sunt: supradicti quoque Viceregis Neapolitani: qui ad nos, ut ueniret, electus fuerat, apud Christianissimum regem remansio, et cum eo nostrarum tecum conventionum occulta, et a nostris ibidem agentibus abscondita tractatio, fixum in te illud consilium nostræ auctoritatis deprimentæ, et amicitia omnino repudiandæ, perseuerantemque in ea opinione sententiam indicaret. Quod confirmavit etiam nobis magis dilecti filii Hugonis de Monchada ad nos firmandæ amicitia causa cum amplis mandatis (ut ferebatur) missi, in regno Franciæ mora, tanquam euentum speculantis: ut si illæ res tibi ex sententia confectæ essent, nos tum penitus posthaberemur: ac deinde eodem animo cum duce Mediolani potius pacisci contententis: cum quidem interea tui in Italia agentes, ut omnia et extra et intra apparet, contra nos quoque et sanctæ Romanæ ecclesiæ statum iniri consilia, Parmam urbem nostram prodicione occulta eripere nobis tentaissent. Quibus tot et tantis iniuriis, et causis, inuiti, quidem et gementes, de te desperare et diffidere coacti sumus, nostramque amicitiam et benevolentiam, quam tu toties repudiasti, multis et magnis rebus adiungere: quorum optimum in Christianam rem, et sedem Apostolicam animum, si aspernati essemus, non iam Pastoris et communis patris laudem, sed superbi et insolentis nomen acquisissemus. Quod cum esset a nobis iam factum: et fides inuicem data, fœdereque constricti cum eis regibus essemus, accessit tum demum, itineribus lente et tarde confectis, dictus Hugo nobis tecum conjunctionem et conditiones eas afferens: quas nos cupidi tuæ amicitia et (ut nobis quidem uidebatur) cum communi Italia et christianitatis commodo, tui etiam et commodi et honoris priuatim appetentes, tam sæpe abs te, tamque uehementer cum requisissemus, fuimus toties repudiati ac repulsi: quarum nunc accipiendarum occasio et tempus præteriere. Atque, ut impendens Italia graue seruitutis periculum, ac turbationem uniuersæ christianitatis, quantum in nobis est, propulsemus: armis et exercitu sedem Apostolicam munire sumus compulsi: abhorrentes quidem ab ipsa armorum tractatione: sed tamen nullam aliam uiam defendendæ iustitiæ et pacis inter omnes æquis conditionibus sperandæ minime cernentes. Habes rationem nostrorum actorum et consiliorum: quæ iccirco summam a nobis tibi explicata est, ut iustificemus non solum coram Deo (is enim inspector cordium est) sed etiam coram omnibus hominibus actiones nostras: et nunc eo animo sumus, atque ita coram eodem Deo, ac te testamur: si Serenitas tua ad æquitatem et humanitatem referre se uoluerit, nostra arma non solum non aduersa tibi, uerumetiam ad res uere gloriosas propitia futura. Sin autem in occupanda quotidie magis Italia, et aliis partibus christianitatis perturbandis non tam naturæ tuæ (quam nos probam semper esse existimauimus) quam cupiditati et consiliis tuorum obsequi perseueraueris, nos neque iustitiæ, neque libertati Italiæ (in qua huius quoque Sanctæ sedis tutela continetur) defuturos: sed iusta et sancta arma moturos, non tam ad offensionem tuam (tibi enim omnia semper honesta et prospera optamus) quam ad defensionem nostrorum et patriæ salutis, communisque dignitatis. Quod (ut ne nobis nimium ægre, et inuite hæc ipsa tractantibus, facere necesse sit) obsecramus te fili charissime, per uiscera misericordiæ Dei nostri, et per eam spem, quæ de tua uirtute, tanquam futura christiano nomini salutari, omnium mentes occupat: ut prouidere uelis, quo immoderatis cupiditatibus repulsis, et aliquid potius publico christianitatis bono condonando, quam omnia nimium ad te trahere conan-

do, hæc Italia et christianitatis incommoda, et pericula, tua moderatione sedentur. Est enim tibi profecto huius curæ onus commune nobiscum: et ambo a Deo in hanc sollicitudinem pro commissis nobis honoribus sumus uocati. In quo nos officio et debito nostro neque defuimus: nec, quantum iustitiæ patrociniū nobis permiserit: defuturi sumus. Tu uero si quæ de tua in pacem generalem uoluntate passim ferebantur, ueras prudentiæ et pietatis radices habebant, habes occasionem declarandi quæ sentiebas, omnia uere te et ex animo sensisse: atque operibus uerba comprobando, singularem optimi principis laudem tibi acquirendi. Qui si tam nobis uere amorem tuum cupientibus, in liberanda Italia, quam federatis nostris in suis iustis et plenis humanitatis, æquitatisque petitionibus, satisfacere institueris: erit id Serenitatis tuæ, famæ et sapientiæ melius multo accommodatum; et paci uniuersali, securitati que tam rerum tuarum, quam totius christianitatis magis consentaneum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die nigesimotertio Junii. M.D.XXXVI. Pontificatus nostri Anno tertio.—YA. SAOLETUS.—Charissimo in Christo filio nostro Carolo electo Imperatori Hispaniarum &c. Regi Catholico.

Carolus diuina fauente clementia electus Rom. Imperator, semper Augustus, Rex Germaniæ et Hispaniarum, &c. Clementi VII, Papa. S. D.

Beatissime Pater, Domine reverendissime. Eramus profecto in magna mentis nostræ anxietate, communem totius populi christiani calamitatem nobiscum iacite deplorabamus: ob ea quæ a Sanctitate Vestra contra nos, statumque nostrum, et sacri Rom. Imperii dignitatem moliri audiebamus. Verum hanc nostram anxietatem mirum in modum auxerunt Vestra Sanctitatis literæ, quas uigesimo die, elapsi mensis Augusti; eiusdem Sanctitatis nuncius xxiii. Iunii expeditas, legendas nobis tradidit. Cum nihil de his perspicere liceat, quam iustitiæ suæ (ut inquit) laudem, nostræ uero, ac nostrorum causæ acerrimam damnationem. Arma, bella, minas, cædes, pecuniæ, auaritiæ, et ambitionis studium, regnandi, dominandique cupidinem, nobis impingi. Quæ profecto nec uerum Pastorem decent, nec nostræ in Apostolicam sedem, Vestramque Sanctitatem, ac illius dignitatem, deuotioni, pietati, ac filiali obseruantia conuenire uidentur. Quinimo ab eo affectu et studio (quo christianam Rempublicam ab ipsis inuentis principatus nostri annis semper complexi fuimus, quo illius pacem, quietem ac incrementum omni conatu concupiuimus, ac pro uiribus curauimus) prorsus aliena censeantur, ac nos talibus afficiant speculis, quod in honori proprio tacendo detrudere, inmaculatamque famam nostram, tacita obiectorum approbatione, lædere uolumus. Cogimur emissa in nos iacula refellere, nostramque innocentiam purgare, ac ab his calumniis immunem ostendere. Nos enim Pater beatissime nobis ipsi conscii, nostræque etiam conscientia arcans perlustratis, nullam obiectorum culpam fateri, nullamque horum nobis calumniam ascribere possumus. Testamur enim Deum, nos nil antiquius unquam habuisse, quam V. Sanctitatem post illius ad sacri apostolatus apicem foelicem assumptionem, uelut Christi in terris uicarium ex innata nobis filiali obseruantia colere, et uenerari: Quem etiam, dum in minoribus ageret, singulari amicitia et bene-

nolentia continuo complexi sumus: prout et Leonis et Adriani temporibus Sanctitas V. satis experta fuit, uniuersoque orbi notum extitit: nullo modo existimantes gradus ac dignitatis augmentis (post Deum, nostrorum etiam assistentia quæsitis) id posse efficere, ut quicquam ab eadem Sanctitate procederet, quod a pristinis suis moribus atque institutis alienum uideretur, et si multa in nos moliri audierimus: ut dignitati, æstimationi, ac auctoritati nostræ detraheretur: ut felicitas, potestas, et magnitudo negorum ac principatum nobis a Deo Opti. Max. collatorum minueretur et (si fas esset) penitus supprimeretur. Hæc tamen nunquam Sanctitati V. ascribenda censuimus, nec etiam contrarium affirmantibus fidem dedimus; nec ideo minus æquo animo pacis uocem semper audiimus, uestramque Sanctitatem ad illam proponendam et amplectendam, uelut rectum Pastorem monuimus et incitauimus. Semper enim in quacumque fortuna, pacis ac quietis cupidi esse studiuimus, ac quæ nos ter animus suapte natura inclinatur. Nec unquam inter christianos (nisi pronocati, coactiue) bellum gessimus, neque tentauimus. Cum enim classem in hostes dispositam haberemus, Menice insula ad deditionem coacta, maiora pro fide catholica tentaturi, Gallorum arte, et copiis undique iunctis, ad propria tuenda reducimur: Vestraque etiam sanctitatis opera et ministerio, cum Leone decimo foedus percussimus, ac pro Apostolicæ sedis, sacrique Imperii iribus, ac dignitatibus tuendis, ipsius Pastoris auctoritate et impulsu, in Subria ac Liguria arma monimus, nostrumque exercitum Pontificio (cui tunc V. sanctitas in minoribus agens, munereque legationis fungens, praefectus erat) adiunximus: quam prouinciam profecto, non nisi recta et iusta intentione, pro ipsius christianæ reipublicæ quiete, proque Italia liberatione, non ex cupiditate, suscepimus. Testis est nostrorum operum Deus, uerus scrutator cordium, qui intima perspicens a longe cognoscit: et qui nostram ob id iustam causam semper tutatus est: totque insignibus uictoriis comprobauit ac iustificauit. Testis erit S. V. si præteritorum rationem ac memoriam habeat, ueraque in lucem promere libeat. Testes sunt eiusdem S. V. ministri; sæpius ad pacis, ac induciarum media, proponenda transmissi: qui aperte experti sunt: nos semper, rebus etiam nostris secundissimis, quascumque honestas pacis, ac induciarum condiciones suscipere paratos, quibus et honoris nostri, et federatorum, iusta, æqua, ac secunda ratio haberetur. Testantur etiam hæc multiplicia mandata nostra, tum Adriani, tum Sanctitatis V. temporibus per nos ad urbem missa, uariaque legationes ad id pro tempore dispositæ ac destinatæ: ut nihil a nobis de his, quæ ad pacem attinet, ullo unquam tempore prætermisum arbitremur. Qui non minus æque ac honestæ pacis studiosi, ad zelatores fuimus, sumusque quandoquidem iniuriarum alacres ac prompti propulsatores, ac etiam (ubi ratio suadet) clementissimi remissores, hilaresque bonorum pro malis, et conuictis retributores. Ait V. sanctitas se consciam nihil prætermisisse: quod, uel ad boni, uel ad honesti Pastoris officium erga uniuersum gregem, uel ad fidelis amici animum in nos speciatim pertineret. Nolumus in hoc V. sanctitatis officium impugnare, nec de illius conscientia et animo contendere: sed operibus credere: reliqua Deo perscrutanda relinquere. Licet autem sic esset, ut ait, id potius diuinæ benignitati, cuius gratuito munere id fit: quam humanis uiribus, aut cuiuspiam industriæ tribuendum foret. Esto quod multa nobis secus relata fuerint, quæ apertius respondendo detegentur. Quod

F-B.

autem V. S. subiungit, suorum bonorum operum, sui-que erga nos amoris eum exitum consecutum esse, et repulsa toties a beneuolentia et coniunctione nostra, nullum inditium ueri amoris apud nos inueniret, siue eorum artibus et dolis, qui eandem sanctitatem V. nunquam nobiscum coniunctam esse uoluerunt, siue nostra mente, oppressione Italiæ, et imminutione dignitatis Sanctitatis V. mediante. Miramur hæc, quod ad eiusdem Sanctitatis Vestrae præcordiis emanasse, adeoque intempestiue rei ueritate non cognita, ab ipso summo iudice, qui Christi uices gerit in terris, tam ab ipsa facti ueritate prorsus alienam pronuntiationem factam. Non enim hi sumus, qui bonorum operum ingrati esse didicerimus: nec qui pro amore odium seu repulsam rependere soleamus. Quinimmo reciprocas uices potius reddere, ac etiam pro acceptis beneficiis maiora, dum licet, impendere: amorisque et beneuolentiæ nicissitudinem abunde referre solemus. Nec quippe tantæ imbecillitatis censendi sumus, ut cuiuspiam artibus seu dolis a uera coniunctione et amicitia diuelli ualeamus: ubi perfectus amicitia nodus intercesserit, qui contrario operum laqueo non dissoluitur: minusque nobis oppressio Italiæ, minutioque sedis Apostolicæ, sedis dignitatis ascribi potest, qui (teste Deo) nihil horum tentauimus nec unquam cogitauimus. Verum omnem conatum, omneque studium adhibuimus, ut Italiam liberam, ac quietam redderemus, ut Apostolicam sedem in suo decore, uelut illius protector et defensor, stabiliremus ac seruaremus: utque pacata christiana Repub. communia christianorum arma in perfidos christianæ religionis hostes, commun. consilio uerterentur. Vbi igitur oppressionis actus non intercessit, nil sinistra de nobis præsumendum fuit. Cum in dubiis meliorem præsumptionem sumendam omnia Iura testentur. Quæ etiam neminem ex præsumptionibus damnant in euidentiissimæ accedant probationes: aut talis esset præsumptio, aduersus quam Iura probationem non admitterent. Quod profecto hoc in casu omnino alienum patebit: cum non solum nulla nobis talis obstat præsumptio Iuris uel facti, uerum omnis sinistra suspitionis labes, a recta nostra intentione, nostrisque operibus omnino abesse uideatur. Nec quippe hanc nostram synceram mentem, nostramque æstimationem lædere potuit Mediolan. status, per nostri exercitus duces captus et, ut aiunt, occupatus. Hanc enim technam (omnium recte sentientium iudicio) repellendam curabimus, dum suo loco de ea re Vestra Sanctitatis obiectis particularibus respondebimus, omnem rei gestæ seriem non pallatam, non obumbratam: sed mera ueritate suffultam, aperte ac palam disserentes ab omnibus recti iudicii capacibus uidentam, inspiciendam, ac recto intellectus oculo indicandam. Si igitur ex his Sanctitas V. se compulsam (ut ait) præterdat ad ea consilia, a quibus et natura et uoluntate semper abhorruisse se asserit. Idque serius actum dicat quam plurimarum rerum indignitas aut honoris sui et publici Italiæ boni ratio postulabat, arma scilicet capere: quæ et iustitiæ et Italiæ libertati et sibi ipsi possunt esse præsidio, uideat quæso S. V. quibus fundamentis moueatur: consideret an hæc pastorali congruant officio: an hic sit gladius per V. sanctitatem euaginandus, exercendusque: quem Christus in uaginant potius recondendum censuit: et qui etiam in hostes fidei ab ipso christiani gregis Pastore regulariter exerceri prohibetur. Animadvertat V. S. an ex his honoris sui, aut publici Italiæ boni ratio habeatur? an hæc iustitiæ conueniant? an Italiæ libertati, seu quieti consulatur? an potius ex opposito sugilletur summi

Pastoris honor et auctoritas, iniuste agatur cum ipso Apostolicæ sedis protectore ac defensore, turbetur christiana Respub. uniuersæque ecclesiæ status? incendaturque ignis, qui tum facile extinguere nequeat: ut inde christianorum uiribus debilitatis, hostes perfidi, uelut lupi rapaces pedetentim christianum abigant gregem: nouique errores indies pullulent: ac demum hæreticorum dogmata magis, atque magis, inualescant? christianæ quoque religioni irreparabile afferant detrimentum? At protestatur S. V. in ipso exordio, id non offendendi cuiuspiam causa, sed tuendi ac conseruandi honoris, officiique sui. Sancta quippe hæc potestatio, si per contrarium non tolleretur, ac inefficax redderetur: si in ipsis defensionis terminis staretur, nec ad ea quæ offensionem sapiunt, transitus fieret. Qualiter enim defendendi causa parantur arma, ubi nullus est offensor, qui V. Sancti, illiusque honorem, aut dignitatem lædat? quam potius, si offensa apparuerit, omni conatu, totisque uiribus tueri, ac protegere studuissimus: nil antiquius in animo habentes, quam ea in Apostolicam sedem officia exhibere, quæ ad officium christianissimi Imperatoris pertinent, quæue Imperiali congruunt dignitati. At si (ut ipsa S. V. protestatur) defendendi duntaxat erat animus, cur priusquam protestatio illa in lucem prodiret, ad manusque nostras scripta uestra peruenirent, tentata est offensio in statu Mediolani, sacri Imperii feudo? Laudens ciuitate occupata, et a nostrorum (nil tale cogitantium) manibus erepta? Cur V. S. ac federatorum copiis et uiribus, nulla etiam præcedente monitione, seu diffidatione, exercitus noster apud Mediolanum, non impune tamen, impeditur ac inuaditur? Hæc si defensionem, an potius apertam offensionem sapiant, lippis et pateret. Verum V. Sanctitas hanc notam putans euadere, longam exorditur Tragediam narrans quæ suo congruunt proposito: his tacitis, quæ magis ad neram rei seriem discernendam facere uidentur. Unde altius repetendo, tota facti series in lucem prodeat, liceatque unicuique animi nostri synceritatem inspicere. Si ea quæ S. V. nobis, rebusque nostris, dum in Cardinalatei etiam officia præstitit, animaduertamus. Id quippe antecessisse dignoscitur, quod uita functo Maximiliano Cesare, auctore nostro Paterno foelicis recordationis: dum is uiuens cum sacri Imperii electoribus fundamenta iecisset: quibus eidem in Imperio successor effici possemus: eamque cum Gallorum rege qui filiam suam nobis sponderat federe artissimo iuncti essemus, ut et nos filium nuncuparet, nilque ab eo, quod ab paterno amore alienum seu indignum uideretur, prodire putaremus: is taliter ad Imperii assecutionem allectus incitatusque exiit: ut etiam cum taxatione personæ proposita inhabilitate ipsius Imperialis dignitatis capessendæ, conatus fuerit uariis modis electores inducere, ut illum eligerent, Imperatoremque designarent: quod non ad ipsius Gallorum regis promotionem tentatum exiit: sed ut per eiusmodi Galli concurrentiam, utroque nostrum excluso, soluto federe tertius subintraret minori potentia præditus, cui potius Imperaretur quam Imperare posset: nihil prætermittendo ut ab ipsius Imperii adeptione penitus excluderemur. Et cum huiusmodi conatus irriti facti forent, uicissitque ipsius sacri Imperii electores uirtus, qui nec ui, nec metu, nec ullis artibus demoueri putauerunt, quin sancto afflante spiritu ab omni præambula promissione prius liberati, unanimi omnium consensu ac nemine discrepante, eorum electionis uota uniformiter in nos contulerint, nosque Imperatorem solito more designauerint. Quam quidem elec-

tionem non tamen uolumus prius acceptare, quam ipsius Leonis summi pontificis V. S. patuelis consensus et auctoritas accederet: cum ea dispensatione, ut cum Imperio nobis etiam Neapolitanum regnum retinere liceret, lege Inuestituræ nunc refragante. Hic nona cogitantur media, ut ipsius Imperii sacri dignitas illudatur, et illius auctoritas deprimatur, uiresque nostræ minuantur. Præter id tamen quod tentatum exiit ex literis et nuntiis, uariisque practicis, ut nostra coronatio apud Aquisgranum differretur, impedireturque; ac inde Wormaciensis conuentus protelaretur, seu potius inutilis inefficaxque redderetur. Fuit etiam organo ac medio Alberti Pii Carpensis Comitum, non sine S. V. ministerio et opera (ut fertur) percussum fedus inter Leonem et Gallum: quo etiam de auferendis a nobis utriusque Sicilia regnis, deque protectionibus potentatum, ac ciuitatum Italiae inter se diuidendis, Imperioque Italico penitus usurpando, seu ueris enuando et subuertendo agebatur: prout hæc ex nonnullis interceptis literis, quas originaliter in manu nostra seruamus, liquide constare poterit. At quum Gallus Rex huius, spe foederis fretus, cupidus suæ ditionis fimbrias ampliandi, uiolato federe: quod prius nobiscum inierrat, per Robertum de Marcha, rebellem subditum nostrum, ad ipsius Gallorum regis stipendia conductum, arma in dominia nostra Gallia Belgica mouisset: ipsiusque Gallia Regis duces et milites, in Italia agentes, etiam ipsius Apostolicæ sedis dominia tunc possessa, urbem scilicet Rhegium, clanculum occupare conati fuissent: fatemur tunc Sanctitatis V. opera diuum ipsum Leonem, Gallorum amplitudinem magis quam nostram potentiam perhorrescentem, de ipsorumque fide hesitantem, in partes nostras adductum esse, nobiscumque fedus iniisse, quo suam sanctitatem, in sua Apostolica dignitate tueri, et Romanam ecclesiam ante occupatam per Gallos restituere et reintegrare: necnon Illustrem Franciscum Forciam in paternum solium et statum a rege Gallo detentum reducere conuenimus. Quod quidem adeo alacri animo suscepimus: postergatis, oblitisque anterioribus gestis in status, honoris, ac dignitatis nostræ præiudicium molitis: ut nil aliud putaremus, quam duo magna orbis luminaria V. Sanctitatis opera adeo inseparabiliter coniuncta censeret, ut inde mutua horum correspondentia, orbis uniuersus illustrari posset, ad perpetuamque unionem reduci. Hoc itaque federe freti, cum ipsius diui Leonis copijs nostris adiunctis: et (ut antea retulimus) sub V. Sanctitatis prefectura, et legatione per nos actum, executumque exiit, ut Parma et Placentia ecclesiæ restituitis, ipsoque Illustri Francisco Forcia in paterno solio stabilito: Galli, etiam non sine magna strage ducum nostrorum, uirtute Illustrum uidelicet Prosperi Columnæ, Marchionisque Piscariae, ac aliorum nostri exercitus ducum et militum ab Italia omnino expulsi fuerint. Et hæc sunt quæ Leonis tempore Vestra Sanctitas pro nobis egit. Quæ tamen non ita passim irremunerata fuere, cum et ipsa Romana ecclesia suum ex his auxerit patrimonium, non solum Parmæ et Placentiæ recuperatione, sed etiam noni census onere regno nostro Neapolitano iniuncto: uestraque Sanctitas (quod non improprie causa sit dictum) aureorum decem millium pensionem annuam super Metropoli Toletana, nostra quidem liberalitate obtinuit. Quid autem Adriani tempore gestum fuerit, disseramus, Nouit V. S. quibus tunc fauoribus Adrianus in eius gratiam suscepisset Cardinale volaterranum V. S. æmulum, acerrimumque aduersarium: quod illius ar-

tibus et medijs in V. Sanctitatis caput moliretur: ac qualiter eandem V. S. a Florentinæ reip. administratione excludere conabatur. Nouit etiam nos ita suarum rerum, suæque familiæ, ac ipsius reip. Florentinæ protectionem ac patrocinium suscepisse: etiam cum status sui, ac suorum nepotum incremento: ut hic Adrianus ipse nostro fauore, nostrique intuitu, non solum Vestram sanctitatem in gratiam tunc suscepit: uerum tanta gratia prosecutus fuerit, ut nihil in rebus status, quæ alicuius momenti censerentur. V. Sanctitate inconsulta tentaret. Hincque Volaterranum S. V. aduersarium, cum indignatus nonnulla cum Gallis (suis interceptis literis) moliri uideretur, Adriani iussu capitur, in uinculaque conicitur: debitas penas daturus, in Adriano morte præuento, auctoritate sacri Cardinalium collegii, pro noui Pontificis electione liberatus fuisset. Et inde electione facta, eorundem Cardinalium intuitu, a V. Sanctitate ueniam obtinere meruisset: licet paulo post dies suos clausisset extremos. Non diffitemur tamen, ipso Adriano uiuente, postquam in illius gratiam V. sanct. reducta exiit, illius operam non modice frugi nobis fuisse, in alliciendo eundem Adrianum ad fedus illud defensionum: quo medio Galli iterum in Italiam redeuntes Mediolanumque obsidentes, federatorum præsidiiis denuo uicti repulsi fuere. Quod et si in Vestra Sanctitatis Pontificatu fuerit executum, Id tamen sub nexillis et copijs eiusdem Adriani, in uimque præambuli foederis actum exiit. Quod V. Sanctitas opus manuum suarum despiciens (nouus homo factus nouaque dignitate assumpta) nequaquam approbandum seu inuadendum censuit: licet ipsius foederis executionem, in qua ceteri federati tunc firmiter insistebant, concurrentibus etiam Venetorum copijs V. Sanctitas, prout ratio suadebat, nequaquam impediendam censuerit: quum et si præsidia ecclesiæ eo tempore cessassent, non ideo minus nostrorum uictoria in manu esse uidebatur, non tamen ob id Sanctitatis V. auxilia atque consilia tunc præstita parupendenda censuerit. Verum pro his et gratias tunc egimus et adhuc agimus. Simulque nos V. Sanctitati debere et obnoxios esse profiteamur: qui etiam uices non solum reciprocas, sed et multiplicatas et longe maiora præsidia, si casus se obtulisset V. Sanctitati ipsique Apostolicæ sedi pro illius tutela et augmento semper exhibere parati fuimus, ut filius patri corresponderet: a quo etiam proposito quicquid in nos falso suggestu molitum uideatur, nequaquam animum nostrum alienauimus: nec alienaturi sumus, in maior uigilantia necessitas in occupandis nostris uiribus, ad rerum nostrarum tutelam et defensionem: quam tamen ita moderatam sumpturi sumus: ut ab offensionis limitibus, quantum fas fuerit, abesse uideatur. Hoc enim moderatum temperamentum nos Christo, cuius V. Sancti. uices in terra gerit, debere profiteamur. Reprehendit Vestra Sanctitas quod non fideli consilio exercitus nostri duces in Galliam transierint, Inferens quod ex eo intemptiuo (ut ait) transitu successerit celerior et gravior in Italiam Gallorum irruptio, rege maximi nominis exercitum ducente, ac urbis opulentissimæ Mediolani ab illis receptio. Nos, beatissime Pater, nec excusamus illius transitus consilium, nec impugnamus. Id tamen nobis inconsultis actum non exiit, qui id nulla iusta ratione negare poterimus, Illustri consanguineo nostro Carolo Duci Borbonii, Anglicis etiam præsidiiis freto, pro sui status recuperatione: quo, eo quod nostris se addixit obsequiis, priuatus extiterat. Durum enim ac prorsus inhumanum uisum fuisset, si eo duce, uicesque nostras in Italiam

agente, obtenta de communi hoste uictoria, eiectisque inde Gallis, uictoria arma eidem denegassemus ob rerum suarum nostri causa, ut præterdit, occupatarum consecutionem: ubi potissime ex eo exercitus nostri in Galliam transitu Italia quietior ac liberior remanere uidebatur, a militum quoque grauiamibus et insolentibus, quibus plerumque uictores milites uti solent, magis exonerata et exempta reddebatur. Sed cum aliter res tunc successerit quam putabatur, non quidem nostra, sed ducum culpa, sed belli sorte ita suadente, ut uictoria quæ a Deo est, non ita passim pro uoto hominum naleat obtineri. Valuit saltem ducum prudentia, audacia, ac magnanimitas in reducendo opportuno tempore exercitum illæsum in Italiam, quo ipsorum Gallorum regis impetus compesci posset, illiusque conatibus obsisti. Qui profecto (ut a fide dignis nobis relatum exiit) a V. S. eiusque ministris ad id fuit persuasus, et incitatus: quod tamen pro certo non habemus, nec ita passim credendum putauimus, eam provinciam belli Italici tam acriter, impetiosaque tentauit, ut fauente Altissimo iustæ nostræ causæ defensore uictus, cum maxima suorum clade, nobis per Viceregem nostrum Neapolitanum captiuis sit redditus: et inde a nobis sub conditionibus Vestra Sanctitatis notis, liberatus. Excusat Vestra Sanctitas quod cum duces nostri de defensione illarum regionum spem totam posuissent, ac de earum insuper, quæ nostræ erant propriæ, periculo commouerentur, eademque Sanctitas V. in magno etiam suarum rerum metu esset, eius conuentionibus occurrere coacta fuerit imminenti periculo, quas ait nos optime nosse. Nos tamen earum conuentionum ueram notitiam habere non possumus: quæ nobis sunt inscis transactæ, quasque nunquam uidimus seu legimus: quæ etiam ministris nunquam ostensæ fuere: ni ipsorum Gallorum relatione stare uellemus, qui aliter rem gestam aiunt, quam Sanctitas uestra suis nobis literis nunciauerit. Volumus nihilominus potius Vestra Sanctitatis assertioni confidere. Recoilimus enim dum eadem Sanctitas nos de huiusmodi conuentionibus (rebus adhuc sub ancipiti Marte laborantibus) suis literis monuisset, asserens nil inde eidem Sanctitati quaesitum, quam fidem et securitatem, id exigente (ut aiebat) necessitate, eliciens inde futuræ pacis auspicium. Cum ipsa Sanctitas de consueto suo erga nos animo et uoluntate nihil omnino remisisse asseueraret: cepimus tunc hæc in benigniorem partem Vestra Sanctitatis culpam nequaquam arguentes: nec de eiusdem (ut aiebat) erga nos animo et uoluntate diffidentes. Id enim potius quorundam suasionibus tribuendum censuimus, qui uires nostras sua detractioe deprimitendo, hostium potentiam extollendo V. Sanctitati suaserit, res nostras in summo discrimine consistere, hostiumque uero robur, in excelso culmine florere, sic pristinam Vestra Sanctitatis uoluntatem in quandam depictam necessitatem transformantes: licet re uera nulla uigens necessitas subesse uideretur. Nec tanta erat in ipsis nostri exercitus ducibus desperatio, aut trepidatio, prout Sanctitati Vestrae insinuabant illius federis auctores: qui Sanctitatem Vestram terrere studebant, quod ex ipso rei exitu secuta uictoria clarius enituit: ex qua potius, quam quod ex eo federe pacis auspicium sumendum uidebatur: ni quorundam malignantium artes suis potius passionibus et cupiditatibus, quam salutis reipublicæ intentæ, sanctum id opus perturbassent. Commemorat V. S. quæ sibi fuerit cura, quæ cautio rerum nostrarum, asserens tunc rebus nostris nihilominus, quam propriis cauisse, Gallorum transitum in regni nostri fines multis rebus remoratum fuisse. Merebatur